Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26400
Copyright: Admont, Benediktinerstift

30

rio monachum ad habitandum suscipiat sine con
sensu abbatis eius aut litteris commendaticiis quia
scriptum est / Quod tibi non vis fieri alii ne feceris

De sacerdotibus monasterii Cap. 62m

Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum
ordinari petierit de suis eligat qui dignus
sit sacerdotio fungi / Ordinatus autem caveat
elationem aut superbiam nec quicquam presumat nisi quod
ei ab abbate precipitur sciens se multo magis dis
cipline regulari nec occasione sacerdotii obliviscatur
regule obedienciam et disciplinam / Sed magis ac
magis in deum proficiat Locum vero illum semper atten
dat quo ingressus est in monasterium preter officium
altaris / Et si forte electio congregationis et volun
tas abbatis pro vite merito eum promovere volu
erint qui tamen regulam de decanis vel prepositis sibi
institutam servare sciat / Quod si aliter presumpserit
non sacerdos sed rebellio iudicetur Et sepe ammo
nitus si non correxerit etiam episcopus adhibeatur
in testimonium / Quod si nec sic emendaverit cla
rescentibus culpis proiciatur de monasterio si tamen
talis fuerit eius contumacia ut subdi aut obedire re
gule noluerit

De ordine congregationis Cap. 63m

Ordines suos in monasterio ita conservent ut
conversionis tempus aut vite meritum distinguit
ut quod abbas constituerit / Qui abbas non conturbet
gregem sibi commissum nec quasi libera utens potestate in
iuste disponat aliquid / Sed cogitet semper de omnibus